



Universitätsbibliothek Paderborn

Codex diplomaticus Brandenburgensis

Sammlung der Urkunden, Chroniken und sonstigen Quellenschriften für die Geschichte der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1862

IX. Fragment einer Brandenburg - Leitzkauer Chronik.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55046](#)

Hii adepti sunt pontificale decus Brandenburgensis Ecclesie: primus dicebatur Tithmarus, Secundus Ogdilo, Tercius Vulcmarus, quartus wigo, Quintus Luzzo, Sextus Tanquardus, Septimus Volquardus, octauus Thiedo, Nonus volckmarus, decimus Harbertus, undecimus Ludolphus; horum undecim pontificum tempore Brandenburgensis Ecclesia erat fine Capitulo, fuerant enim pontifices predicti ad istam prouinciam a suis pontificibus missi ad extorquendum et persequendum paganorum ritum et ad destruendum Idola detestabilia, ut in sequenti patet cartha etc. (B. X. S. 69.)

IX.

Fragment einer Brandenburg-Leibkauer Chronik.

Hii adepti sunt pontificale decus Brandenburgenis Ecclesie: primus dicebatur Tithmarus, Secundus Ogdilo, Tercius Vulcmarus, quartus wigo, Quintus Luzzo, Sextus Tanquardus, Septimus Volquardus, octauus Thiedo, Nonus volckmarus, decimus Harbertus, undecimus Ludolphus; horum undecim pontificum tempore Brandenburgenis Ecclesia erat fine Capitulo, fuerunt enim pontifices predicti ad istam prouinciam a suis pontificibus missi ad extorquendum et persequendum paganorum ritum et ad destruendum Idola detestabilia, ut in sequenti patet cartha etc. (B. X. S. 69.)

Anno domini Millesimo Centesimo decimo nono ordo premonstratensis in Landimensi dioecesi sub Romano pontifice domino papa paschali secundo florere cepit per venerabilem patrem egregiumque predicatorem Norbertum, qui nobilibus parentibus ortus, scilicet patre Heriberto et matre Hadwige. Qui Norbertus a beata virginе maria edoctus, vt ipsum ordinem a predicto apostolico peteret et locum, vbi caput ordinis esset, ibi eadem gloriofa virgo maria demonstrauit, vnde et ipse ordo premonstratensis nuncupatus est.

Anno igitur millesimo Centefimo vicesimo quinto metropolis Saxonie partenopolis, que est magdeburg, orbata est suo antistite, propter diffensionem Canonicorum electio ad serenissimum Imperatorem Lotharium quartum delata; vocatis igitur electoribus post multos verborum ambages Lotarius Imperator ipsum Norbertum, qui tunc temporis verbi dei gracia in Curia erat, confilio et auxilio domini Gerardi Cardinalis assignauit archiepiscopum. Qui Cardinalis post Honorium papam Lucius papa cognominatus Catholice presedit Ecclesie. Cumque Ille, quantum poterat, reclamaret huic verbo, Tandem ad Imperatoris genua humiliatus virgam pastoralem, que quasi in manibus eius inserebatur, accipere coactus est a domino Cardinali, Hiis verbis eum alloquente: auctoritate dei omnipotentis et beatorum apostolorum petri et pauli et domini Honorii pape tibi precipio, Ne vocationi vlo modo contradicas. Norbertus vero non fine multo lacrimarum imbre suscepit Jugum domini. Sieque dimissus ab Im-

peratore in Saxoniam ad locum destinatum profectus est, aspiciens autem Ciuitatem partenopolim nudatis pedibus incedebat. Et receptus in Ecclesia postmodum quam pluribus comitatus pallacium introiuit, vnde nequaquam agnitus ab Hostiario repulsam passus est. Cum autem ex hoc ab aliis argueretur hostiarius, pater Norbertus ait: amice, ne timeas, melius enim me nosti et clariori oculo me intueris, quam ille, qui ad pallacia me compellit, ad que pauper et modicus sublimari non debueram. Consecratus est igitur archiepiscopus.

Anno dominice Incarnationis MCXXVIII aduentus Canonicorum Regularium ad Ecclesiam beati petri in villa Liezeke beati augustini vite professionis secundum Institutionem domini ac venerabilis patris nostri Norberti magdeburgensis XIII. archiepiscopi, Qui Norbertus obiit pie memorie anno MCXXXIII. VIII. Idus Junii, Episcopatus sui anno octauo, pontificatus sanctissimi domini pape Innocencii Secundi anno eius quinto.

Cum igitur Canonici Regulares ordinis premonstratenfis Ecclesie beati apostolorum principis in villa Liezeka inter male fidei Christianos et Sclauos sub periculo corporum et rerum suarum essent constituti: Nam Sclavi cum iuxta ritum paganorum ad colenda Idola adhuc erant Inclinati, que Harbertus Episcopus extirpauerat, vt supra in cartha dictum est: Tunc etiam Canonici Regulares supradicte Ecclesie In villa Liezeka propter Slavorum non propria temeritate, sed domini Conradi Magdeburgensis XIII. archiepiscopi auctoritate, primo wiggerum, beate Marie virginis in Magdeburg prepositum, anno domini MCXXXVII in Episcopum Brandenburgensem elegerunt, et concessa est electionis iuris confirmacio per Sanctissimum patrem et dominum papam Innocentium Secundum, Qui Idem Wiggerus XII. Brandenburgensis Ecclesie Episcopus monasterium mire pulchritudinis, sicut vsque cernitur, ad honorem gloriose virginis Marie genitricis dei in monte Liezeka iuxta filuam contiguam eiusdem montis fundauit Et promotione, confilio et auxilio bonorum et pecuniarum domini adelberti marchionis laudabiliter perfecit, Qui marchio est primus et summus eiusdem fundator, aduocatus et defensor et dominus istius prouincie, vt priuilegia testantur, vt sequitur: In nomine sancte et indiuidue Trinitatis Ego adelbertus, marchio Brandenburgensis et otto marchio, filius meus, Sicut ad caput suum, vnde prodeunt, flumina reuertuntur, vt iterum fluant, sic digne et iuste mundi principes suo creatori deo domino, a quo omnis est potestas recognoscenda, condecet humiliter obedire Et subditis eius Christifidelibus pace et tuacione iustis modis prouidere. Sic enim, nec aliter in veritate stabit noster principatus, si Christiane pacis vigor et precipue religiosorum, qui sub nostra custodia degunt, per nos fuerit consernatus. Eo deuotius intuitu pro nostre salutis et filiorum meorum statu necnon et pro requie dilecte nostre coniugis Sophie prouidere decreuimus pace (sic) et quieti Ecclesie sancte dei genitricis marie in monte Liezeka, que dei gracia nouis temporibus nostris et consiliis et auxiliis promota est edificiis, religione et personis. Sollicitudinibus itaque nostre, qui primi et summi eiusdem Ecclesie sumus aduocati, partem commisimus etc. Cetera patent in priuilegiis (zu vgl. B. X, S. 73).

De consecratione et de dote eiusdem Ecclesia per dominum Wiggerum Episcopum et dominum adelbertum marchionem Et de translatione Canonicorum Regularium ab Ecclesia beati petri apostolorum principis villa Liezeka ad Ecclesiam beate marie virginis in monte Liezeka patet in priuilegio, vt sequitur:

Wichmannus, dei gracia Episcopus, tam presentibus quam futuris notum esse cupio, Quod ego a confratre nostro Wiggero, venerabili Brandenburgensi Episcopo, Et a dilecto nostro preposito Lamberto inuitatus et multum rogatus ad consecrandam Basilicam in monte sancte marie virginis Liezeka, quam ego et predictus Episcopus leta celebritate, presentibus marchione adelberto, cum vxore sua Sophia et filiis suis ottone, hermanno, Sifrido, Henrico, adelberto, Theoderico et multis fidelibus Christi, tam clericis, quam laicis, in honore dei genitricis et virginis marie et Sancti petri et Sancti Eleutheri Episcopi et martiris, quem tunc de magdeburgk in patronum adduci concessimus et aliorum sanctorum multorum consecrauimus, Eciam Ecclesiam in villa Liezeka cum omnibus bonis eatenus ad usum fratrum ibidem degencium ascriptis et priuilegio domini pape Innocencii Secundi et scripto Episcopi Wiggeri mei in dedicatione tunc cooperatoris confirmate basilice nouiter dedicate articulando, sicut iustum est, banno auctoritate nobis a deo commisso (sic) iterum in usum militancium pauperum Christi confirmauimus, preterea duas decimas integras excepta tercia parte, que parochiano perfolnitur presbitero, in duabus villis de bonis marchionis adelberti Turneburg pertinentibus scilice et predele a fratre nostro wiggero Episcopo pro eterna remuneratione datas. Cetera patent in priuilegiis. (B. X, S. 71.)

Confecrata est Ecclesia supradicta anno dominice Incarnationis MCLV concurrente V., Epacta XXVI., Indictione III., quinto Idus septembbris. Carta supradicta ex priuilegiis est collecta, vt veritas elucidatur, per quem prouincia ista de gentilitate ad Christianitatem est conuersa, Qualiter wiggerus Brandenburgensis primus electus Episcopus, qui huius Ecclesie primus fuit fundator, Quod ad consecrandam Ecclesiam magdeburgensis Episcopus per Episcopum Brandenburgensem et marchionem adelbertum est Inuitatus et multum rogatus, Et quod sub marchionis defensione aut custodia Ecclesia Liezeckenfis est constituta.

Post annorum transitum sepe nascitur questio preteritorum, si res ipsa non fuerit scribentis testimonio confirmata. Henricus itaque dictus de antwerpe, sub alurico preposito prior in Brandenburg, qualiter vrbs Brandenburg primum expulsis inde Slavis modo teneatur a Christianis et quod Sancti petri Ecclesia eiusdem vrbis sit filia Sancte marie in Liezeka, sicut cunctis legentibus in sequenti patet pagina, cum esset ephebus, dictauit ita scribens: Innumeris annorum circulis ab vrbe Brandenburg condita temporibus paganorum principum misere sub paganissimo euolutis, Henricus, qui sclauice pribeflaus, Christiani nominis cultor, ex legitima parentele sue successione huius vrbis ac tocius terre adiacentis tandem deo annuente fortitus est principatum, In qua vrbe Idolum detestabile tribus capitibus honoratum a deceptis hominibus quasi pro deo celebrabatur. Princeps itaque henricus populum suum spucissimo Idolatrie ritui deditum

fumme detestans omnimodis ad deum conuertere studuit, Et cum non haberet heredem, marchionem aelbertum sui principatus instituit successorem, filiumque eius Ottone m de sacro Baptismatis fonte suscipiens totam Zcucham, terram videlicet meridionalem obule, in patrimonium ei tradidit. Proceedente vero tempore multis sibi teutonicis principibus in amicicia fideliter copulatis, Idolatris repressis et latronibus aliquantulum extinctis, cum haberet requiem per circuitum, cum patrissa sua coniuge, optata pace deo deuote militauit. Illuistris itaque Rex Heinricus Ecclesie Beati petri apostolorum principis Canonicos ordinis premonstraten sis in villa Liezeke constitutos videlicet Wiggerum, Walterum, Gerardum, Johannem, Fliquinum, Sigerum, Hilderadum, Moisen et Martinum, assumptis secum libris de Liezeka et preparamentis, calicibus, apparatu escarum et summa pecunie ad faciendum conuentum in Brandenburgk, auxilio et confilio, hortatu et opere domini Wiggeri Episcopi Brandenburgensis, fundatoris Ecclesie Beate Marie virginis in monte Liezeka, de villa Liezeka primum vocauit eosque In Ecclesia Sancti Godehardi in suburbio Brandenburg collocauit Ipsisque ad quotidianum victum et vestitum ex habundantia sua large predia tradidit.

Verum qui Rex erat insignia Regalia propter deum libenti animo postposuit et scrinium reliquias Beati petri Imponendis diadema regni sui et vxoris sue ad nutum atque arbitrium domini wiggeri Episcopi diadecima (duodecimi?) suum Regale confensit, et supradicti Regis diadema adhuc In Liezeka usque hodie cernitur. Cum iam vero senio confectus deficere inciperet, vxorem suam marchioni aelberto vrbem Brandenburg post mortem suam promiserat, fideliter commonuit, porro febris ali quamdiu correptus et pregrauatus fideliter, ut speramus, in domino obdormiuit. Vidua igitur ipsius non Immemor monitis et mallens, cum sciret populum terre ad colenda Idola pronum, teutonicis terram tradere, quam prophano Idolorum cultui ultra consentire, lapientibus via consiliis maritum suum iam triduo mortuum nullo sciente preter familiarissimos suos inhumatum obfernauit et marchionem aelbertum, quem sibi heredem instituerat, ut vrbem suscepturnus veniret, rem gestam Indicans aduocauit, qui festinans cum manu valida armatorum iuxta conditum veniens vrbem Brandenburgk velut hereditaria successione possedit et prefati defuncti exequias multorum nobilium obsequio iuxta magnificentiam principis honorifice celebrauit. Ideo marchio aelbertus libera rerum suarum disponendarum facultate potitus paganorum scelere latrociniis notatos et Immunditie Idolatrie infectos vrbe expulit ac bellicosis viris, teutonicis et sclavis, quibus plurimum confidebat, custodiendam commisit. Vbi autem huiusmodi fama, qua nullum malum velocius, in auribus Saxzonis, in polonia tunc principantis auunculi supradicti nobilis sepulti, percrepuit, permaxime de morte nepotis sui doluit et quia proxima linea consanguinitatis defuncto iunctus erat, perpetuo se de vrbe exhereditatum considerans miserabiliter ingemuit. Verum tempore breui elapso inhabitantibus vrbem pecunia corruptis proditam ab eis nocturno silentio cum magno exercitu polonorum referatis amicabiliter portis Castris intravit et homines marchionis, qui vrbem tradiderant,

in poloniam ducens simulatorie captiuauit. Quo auditio marchio ad elbertus, a Junente sua In bello strenue exercitatus, quid facta opus esset, extemplo considerauit et expeditionem edititius ope et industria domini Wichmanni In magdeburg tunc metropolitani et aliorum principum ac nobilium copiosum exercitum congregauit. et die condicto fortium pugnatorum vallatus auxilio ad vrbum Brandenburg sibi Sackzone supplantatam quantotius ac tribus In locis circa eam diuidens longo tempore propter munitionem loci eam obsedit, Sed post hincide sanguinis effusionem cum hii, qui In vrbe erant, cernerent se nimis angustiatos, nec posse euadere manus aduersantium, conditione firmata dextris datis marchioni coacti reddiderunt.

Anno igitur dominice Incarnationis MCLVIII. III. Idus Juny predictus marchio diuina fauente clementia vrbum Brandenburg victoriosissime recepit ac cum multo comitatu letus introiens erecto in eminentiori loco triumphali vexillo deo laudes, qui sibi victoriā de hostibus contulerat, merito persoluit.

Wiggerus igitur XII. Brandenburgensis Episcopus, quondam Beate marie in magdeburg prepositus, obdormiuit feliciter in domino, vt speramus, anno gracie MCLVIII pridie Nonas Januarii, In eadem Ecclesia Beate marie virginis in Liezeka sepultus, hic sedet in Cathedra Episcopali annis XXI, mensibus quatuor, diebus XVII.

Fuit interea Liezeka In Claustro Beate Marie virginis bone Indolis Canonicus nomine wilmarus, qui ascendens de virtute in virtutem primum Scholarium erudit, postea defuncto patre pie memorie Lamberto, huius Ecclesie preposito, digne factus est eius successor, Tandem diuina arca eum nichilominus agente prouidentia ibidem ab Ecclesia eiusdem fratribus et Canoniciis libera iuris potestate in episcopum est electus. Hinc est, quod post receptionem supradicte vrbis annis octo inde elapsis Wilmarus XIII. Brandenburgensis Episcopus omnimodis sedem Cathedram exaltare et vrbum contra Infidias Inimicorum munire desiderans prolixa deliberatione propria et coepiscoporum suorum necnon et ad elberti marchionis filiorumque eius consilio Canonicos ordinis premonstratenſis ab Ecclesia Sancti petri apostolorum principis in Lietzeka transmissos, qui In Ecclesia Sancti Godehardi in suburbio Brandenburg in diebus illis obedienter et religiose necnon conformiter matri sue Ecclesie Beate marie virginis in Liezeka degebant, vnde originem assumpferant, Cleri solemni processione populique prosecutione in supradictam vrbum ex consensu matris sue liezeken transponens in sedem Episcopii sui VI. Idus septembris satis prouide collocavit, eisque villas Gorzelitz, museltitz, Bukowe, Gorne, Rytz, vt bonioulos ad transmeandum faceret, contulit, quatenus eliminatis Idolorum spurciis deo laudes inibi incessanter agerentur, vbi antea per multa annorum milia inutiliter ferniebatur. Eodem siquidem anno prefatus Episcopus wilmarus, bonum incepit meliori fine consumare disponens, Basilicam Beati petri apostoli fundamento XXIIII pedum supposito V. Idus Octobris in nomine domini nostri Jhesu Christi deuotus fundauit.

Explicit tractatus de vrbe Brandenburg, qualiter de gentilitate ad Christianitatem conuersa est ac postmodum a Sackone, principe polonie, nocturno supplantata,

sed tandem a marchione adelberto diutina obsidione requisita. Wilmarus XIII. Brandenburgensis Episcopus, quondam prepositus Secundus, vt supradictum est, Sifridus domini adelberti filius marchionis, XIIIIL. Brandenburgensis Episcopus, tempore Ottonis marchionis fratris sui, Balderamus XV. Brandenburgensis Episcopus, gloriose et beate marie virginis quondam in magdeburg prepositus, allexius XVI. Brandenburgensis Episcopus. Norbertus, Baldewinus, Siffridus, Gernandus, Rudeherus, Otto, Heinricus, Geuehardus, Heidenricus, Theodericus, huius Ecclesie prepositus, Vulradus, Fridericus, Johannes, Heinricus electus, Ludewicus de Neyndorff, Theodericus de Schulenburgk, Hennigus de Bredaw, Stephanus, doleatoris filius. Hic sedit in Cathedra Episcopali annis XXXVIII. Pontifices supradicti multa bona exhibuerunt Ecclesie Liezeken tam In confirmatione priuilegiorum, quam in donatione bonorum, vt priuilegia testantur, anime eorum et anime omnium fidelium defunctorum requiescant in pace, amen. Theodericus de Stechaw, arnoldus Joachimus de Bredaw, Jheronimus Schultetus, Theodericus de Hardenberch, mathias de Jagaw, Juriam doctor, Joachimus, dux Munsterbergensis. — —

Hoc quoque opere precium visum est huic pagine inferere, quod in electione Episcopi post prepositum Brandenburgensem, qui primam in electione Episcopi vocem habet, secundam vocem habet prepositus in monte Lietzeka, deinde utriusque Ecclesie Canonici libere eligant, Sicut iustitia mediante mos obtinuit omnium cathedralium Ecclesiarum, plebani vero sacerdotes rationabiliter et iuste eorum electioni debitum assensum exhibeant.

Anno dominice Incarnationis MCXL, Indictione tercia, Concurrente XIII, quarto nonas Septembris dedicatum est templum In antiqua villa Lietzeka a venerabili Brandenburgensis Ecclesie Episcopo wiggero In honore Beatorum petri, Bartholomei etc.